

23  
DE. HIS. QUÆ. IN.

90  
26

STEPHANO. HALBERSTADIENSI.  
AB. EJUS. INSTAURATIONE. ACTA. SUNT.  
BREVIS. NARRATIO.

---

# PROGRAMMA.

QUO.

PRIMÆ. CLASSIS.

# EXAMEN. PUBLICUM.

PROXIMIS. LUNÆ. ET. MARTIS. DIEBUS.

POST. MER. AB. HORA. II. INSTITUENDUM.

INDICIT.

STEPHANEI. RECTOR.

CHRISTIANUS. GODOFREDUS. STRUENSEE.

REG. A. CONS. SACRIS.

---

HALBERSTADII.

EX. TYPOGRAPH. DELIANA. MDCCCLXXV.



STEPHANO. HALLENSI

AD. DIS. INSTAVRATIONE ACTIV. SUNT.

BREVIS. NARRATIO.

# PROGRAMMA

690

PRIMUS. CASSIR

# EXAMEN. PUBLICUM.

EXAMEN. Tunc ad MARIUS. DEBET.

POST MEA AD HOC INSTITUENDUM

INDEX.

STEPHANO. NEGOTIA.

CHRISTIANUS. GODFREDUS. STRUNENSE.

REG. A. GÖTTSCHE.

HABENSATIDI.

EX. TYPGRAPH. FRIEDR. HEGCKA.



Quemadmodum superioris seculi anno LXXIV. schola no-  
stra Cathedralis REVERENDISSIMORUM PATRO-  
NORUM singulari cura, liberalitate, & munificentia  
renovata, aucta, & ornata fuerit, programmate eo, quo sole-  
nia secularia proximo Novembri mense celebrata indicenda fuere,  
pro ea copia monumentorum, quam habere potui, exposui. Cu-  
jus fata cum alio me tempore persecui velle promiserim: hoc tem-  
pore, cum *classis primæ examen publicum habitum* *iri* scriptione ali-  
qua significantum sit, fidem datam liberare adgredior. Accidit  
autem etiam ludo nostro literario illud, de quo non paucis aliis  
belli

querendum est, ut quæ in eo sunt gesta, literis sint parum diligenter mandata: imo, si verum fateri volumus, literarum monumentis, quibus rerum memoriarum consultum sit, prorsus destituamur. Quod non vehementissime mirabuntur æqui rerum æstimatores, qui cogitant, eos, qui in scholis docent, tanta laborum mole & multitudine distineri, ut, cum maxime volunt, sæpe non possint, quæ in ludo eveniunt, literis accurate mandare: præsertim cum leviora videantur, & talia, (in quo tamen falluntur) quæ scire posteriorum non multum interfit. Quemadmodum enim pauci medici sunt, qui morborum historiam, medendi rationem, medicamentorum vim, ægrotantium vicissitudines, earumque causas *Sydenhammi* CL. V. exemplo accurate perscribunt: sine dubio ob eam causam, quod laborum multitudine impediuntur: & pauciores etiam patresfamilias, qui quæ domi suæ geruntur, qua ratione suos alant, instituant, & gubernent, rem familiarem augeant, damna, aut avertant, aut sarciant, in tabulas referunt; et si ejusmodi commentaria possint esse utilissima: sic non accerbissime scholarum magistri mihi videntur accusandi, qui earum fata, commoda, incommoda & vicissitudines non perscribunt; et si posteri hujus generis commentariis ægre carerant, cum ex singularibus eventis a prudentioribus communia præcepta scholasticæ rei incrementis vehementer inservientia promi posse videantur. In hac literarum & monumentorum inopia, unde scholæ nostræ historiam contexerem non haberem; nisi mihi illud

A



illud contigisset, ut dimidio propemodum seculo aut sim in ea  
versatus, aut certe non pita ab ea seiunctus, ut quæ in ea gere-  
rentur non possem cognoscere; præsertim cum meus in hanc lite-  
rarum sedem, ubi adolescentia mea est conformata, singularis a-  
mor faceret; ut quæ ad eam pertinerent, cum voluptate aliqua  
vestigare cuperem. Posteaquam enim ante XXXXII. annos fui  
in hunc ludum studiorum causa deductus, decimo anno post, quod  
tempus partim in academia egi, partim in Bergensi Pædagogio  
docendo consumsi, factum est, ut ad Conrectoris munus in  
hoc ludo obeundum vocarer; neque a jucundissima sede potuer-  
rim aveli: ut non modo quæ ab illo tempore acta sint potuerim  
cognoscere, sed agendis interfuerim, imo ex magna parte præfue-  
rim; ut quæ sum narraturus testimonii auctoritatem & vim habeant.

Sunt autem ea, quæ in scholis geruntur, duplieis generis:  
quorum alterum ea complectitur, quæ ad ipsam disciplinam, for-  
mamque earum internam pertinent, ut tum quid, & quomodo tra-  
ditum sit narretur, tum qui mores discentium fuerint, quave ra-  
tione, quibusve subsidiis eorum castitati & integritati subventum  
sit, exponatur: alterum eventus memorabiles reliquos exponit,  
qui doctores fuerint, quantus discentium numerus, & si qua alia me-  
moria digna videntur. Prior in duas partes commode dispisci  
posse videtur. Una attingam ea, quæ ante annum hujus seculi

LVIII. quo aliam formam ludus noster accepit, evenerunt altera, qualis ab eo tempore fuerit, persequar.

Qualem ludum nostrum literarium ejus statores Reverendissimi esse voluerint, quive termini singulis ordinibus præstituti & circumdati fuerint, quas res in illis tractari voluerint pag. XVII. & XIX. secularis programmatis ostendi.

Monui ibidem multa in ea descriptione, si ad nostram ætatem referatur, jure desiderari, nec videri classium disciplinam ita coagmentatam, atque compositam esse, ut in inferioribus ordinibus instituti ex superiorum lectionibus fructum capere potuerint: quod eventus postea comprobavit.

Quamlibet enim novus ordo additus sit: tamen tantum absuit, ut in quarto ordine quæ præscripta erant traderentur, ut epistolæ Ciceronis minores cum Buchanani Psalmis, & Erasmi Colloquiis in eo legerentur, ut præclare illi profecisse viderentur, qui possent substantivo adjективum recte jungere, & Langii Colloquia utcunque explicare. In tertio enim ordine, in quo, ut in quarto, tempus tantum non omne in latina lingua addiscenda unice consumebatur, vehementer sibi gratulabantur docentes, si possent suos eo perducere, ut Nepotem possent, non dico interpretari, sed verba ejus patrio sermone ægre reddere, & literas grecas legere, Gallica lingua, historia, & Geographia prorsus neglecta. Quæ non diligentius in secundo ordine tractabantur, in quo id unice agebatur,

agebatur, ut latina lingua utcumque inculcaretur, & pauculae se-  
ctiones Evangelii Johannis explicarentur.


Cum inferiores ordines essent ita constituti: in qualis primus  
fuerit, facile est colligere; in quo ex prima ludi descriptione,  
tantum non omne tempus uni latinæ linguae erat ita impenden-  
dum, ut græca duabus modo horis per hebdomada traderentur:  
ex gravioribus autem artibus, præter Rheticam, cui multum  
operæ & temporis impendebatur, Logica & Ethica extremis mo-  
do labris degustarentur. Cum hebraicæ linguae studium hujus se-  
culi initio fervore cœpisset: etiam in schola nostra coli cœpit: ad  
quam Gallica mox accessit; ita ut, quo tempore in hunc ludum  
discendi causa recipiebar, Ciceronis orationes selectæ, ejus epistolæ  
& officia, & cum his Livius, Vellejus, Curtius cum Virgilii Ænei-  
de subinde explicarentur. Græcæ linguae quovis septiduo binae  
horæ impendebantur post meridiem: quibus non multum profici  
potuit: maxime cum canicularibus diebus græcarum literarum stu-  
dium, quod in explicando novo Testamento omne exhatiebatur,  
duobus integris mensibus conquiesceret. Ebraicæ linguae quater-  
næ per hebdomadæm horæ ita tribuebantur, ut Grammaticæ cu-  
ra posthabita codicem cursim legeremus, ex quo non maximum  
fructum cepissemus, nisi privatissimis horis, eum hujus, tum ce-  
terarum linguarum præcepta, quæ in primo ordine nimium negli-  
gebantur,

gebantur, esse mus docti. Graviorum artium studium sopitum jaccebat. Neque enim aut logica tradebatur, aut rhetorica, aut metaphysicæ, physicæve prima lineamenta: quod detimento non caruit, cum qui ad academiam accederent, sibi in novum aliquem orbem delati esse viderentur. Sed affulferat hoc tempore ludo nostro læta quædam spes, fore omnia meliora multo, & pleniora, vocato ad fungendum Conrectoris munere eximio viro, qui scholis natus esse videbatur, Joanne Henrico Prielmayero. Erat enim in eo præter sufficientem earum rerum, quæ in scholis tradendæ sunt, latinæ linguae, græcae, & hebraicæ, mathefeos, & poëseos (a philosophia enim, si physicam excipias, fuit alienior) scientiam, singularis explicandi & instillandi discentium animis ea, quæ docebat, facultas, cum admirabili vitæ scholaſticæ amore conjuncta. Quo cum accederet vitæ eximia sanctitas, & erga discentes, quorum commodis suæ utilitatis oblitus unice inserviebat, singularis amor, factum est, ut eo tempore bonarum literarum seges lætius effloresceret, multaque ad scholaſtica studia pertinentia diligentius, & uberius docerentur, & disserentur. Neque vero de literis tantum bene est meritus præstantissimus vir, sed perfecit etiam præcipiendo, hortando, & rogando, tum magis etiam exemplo, & vitæ sanctitate, ut virtutis amorem imbiberent tenellæ mentes, vitia abhorrerent, & ad Christi disciplinam animum vitamque conformarent: multique ex hac disciplina profecti de republica, sacra præsertim, præclare meruerint.

Sed

Sed hæc felicitas parum fuit diurna. Pro ea enim opinione,  
quæ multorum animos infudit, damnum fieri, nisi, qui de scholis  
bene merere possunt, mature illis eripiantur, multum renitens ac  
invitus ex hac statione est detractus, in qua, si diutius manere illi  
licuisset, magnam scholæ nostræ utilitatem allaturus fuisse videtur.

Quinto hujus seculi decennio, cum ordines omnes novos ma-  
gistros essent hæcti, vegeta plerosque ætate: videtur ea res ad lu-  
di nostri commoda non parum pertinuisse. Neque enim modo  
quartus recreatus est, qui integro biennio marcuerat, sed etiam  
in tertio, & secundo multa diligentius tractari sunt cœpta. Ad-  
dita est gallica lingua, patrii sermonis cultura, cum historiæ &  
geographiæ studio, & in omnibus literarum partibus, quibus æ-  
tas puerilis informari solet, fines sunt prolati. Latina lingua cum  
græca, & hebraica ita tradita est, ut ab his, qui ex secundo or-  
dine in primum transcriberentur, major pars epistolarum Cicero-  
nis ad diversos, cum Cæsare, Justino, Cornelio, Æsopi fabulis,  
præter ea, quæ simul cum primanis legerant, esset pertractata; in  
græcis autem Evangelia, & in Hebraicis Genesis absolverentur: ita  
ut in omnibus grammaticæ diligentissime ratio haberetur: quod,  
ut fieri non poterat, nisi inferiores ordines incrementa cepissent,  
sic primi ordinis studiis salubre fuit. Mos etiam renovatus est,  
ut sæpius de loco a discentibus certaretur: quæ res discentium



diligentiam acuit, multorumque aliorum bonorum fons & causa fu-  
it. Ignavia enim sublata mores improbi & agrestes, ejus comites,  
cesserunt, vitæque honestati & elegantia locus factus est. Cete-  
rum illa consuetudo est adhuc hoc tempore retenta, ut, cui ordini  
latino quisque adscriptus erat, primo e. c., in eodem reliqua do-  
cendus esset; quantumlibet discentium profectus non parum retar-  
daret. Sed huic incommodo ab anno hujus seculi LIX., quo  
multa alia in ludo nostro mutata sunt, occursum est. Quæ cum  
hoc programmate complecti haberem in animo: tam multa fueré  
impedimento, ut in aliud tempus consilium differre sim coactus.  
Itaque hoc tempore nihil addam, nisi ut *Reverendissimos scholæ nostræ*  
*Patronos*, omnesque, qui studiis nostris fayent, demisse & diligen-  
tissime rogem, oremque, ut, cum primus ordo examen publicum  
sit subiturus, ei interesse haud graventur. Halberstadii, a. d. XI.  
Calend. Maj. A.DCCCLX.







5. Dez. 1995

78 L 1245

X 2315849







23

90

26

DE. HIS. QUÆ. IN.

# STEPHANEO. HALBERSTADIENSI.

AB. EJUS. INSTAURATIONE. ACTA. SUNT.

BREVIS. NARRATIO.

## PROGRAMMA.

QUO.

PRIMÆ. CLASSIS.

## EXAMEN. PUBLICUM.

PROXIMIS. LUNÆ. ET. MARTIS. DIEBUS.

POST. MER. AB. HORA. II. INSTITUENDUM.

INDICIT.

STEPHANEI. RECTOR.

CHRISTIANUS. GODOFREDUS. STRUENSEE.

REG. A. CONS. SACRIS.

HALBERSTADII.

EX. TYPOGRAPH. DELIANA. MDCCCLXXV.